



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 1. Ex Conjuratis quidam extremo suppicio in Anglia affecti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](#)



HENRICUS IV. Franciæ Rex,  
a Sicario necatus.

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
CONTINUATÆ.  
**LIBER CLXXXVII.**

( PAULUS V. SUMM. PONTIFEX.  
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Ex Conjuratis quidam extremo sup-* Sæc. XVII.  
A. C. 1606.  
*plicio in Anglia affecti.*

**M**aluisset equidem Jacobus I. Angliæ Merc. Gallo  
Belg. tom. 5.  
Thuan. hist.  
l. 135.  
Rapin. hist.  
d' Angl.  
Rex populi sui obsequium potius  
mansuetudine ac indulgentia e-  
mere, quam Regiæ Majestatis severi-  
tate, & subditorum sanguine extor-  
Hist. Eccles. Tom. LIV.  
A quere, Juvenc. hist.  
Societ.

Sæc. XVII. quere, nihilominus ne serperet in vulgus  
A. C. 1606. incorrecta Procerum pravitas simulque  
factiosis terror incuteretur, morigeris  
vero publica redderetur tranquillitas,  
Rex suum solium firmare ratus, nupe-  
ræ conspirationis reos in comitiis die  
vigésima prima Januarii celebratis plecti  
jussit, nominatis hanc in rem quibus-  
dam, qui judicij acta in eos instruerent:  
Igitur præ ceteris coram tribunali si-  
stuntur Digbius, Graundius, Rucwo-  
dus, Batesius, Robertus & Thomas  
Wintheri fratres, Cajus & Fauxius. Ex  
his octo Digbius crimen suum ultro fas-  
sus, se ad id desperatione adactum fuisse  
ajebat, unice petens, ut ense, nec la-  
queo puniretur: Thomas quoque Win-  
therus, Rucwodus, Robertus & Fau-  
xius se cuniculo manus admovisse fate-  
bantur: ceteri vero criminis, quod ne-  
gare haud poterant, foeditatem diserta  
falem oratione, honestoque obtentu  
imminuere nitebantur: Accepta igitur  
mortis sententia una omnes die trigesi-  
ma Januarii ad supplicii locum produ-  
cuntur, ad quorum conspectum om-  
nium animi intimo miserationis sensu  
afficiebantur: funestum enim erat spe-  
ctaculum, cernere tam egregia ac li-  
berali oris venustate, corporis habitu-  
dine plane regia juvenes tam splendide  
vestitos ad infame mortis supplicium a

Licto-

Lictoribus raptari. Ipsi tamen Heroi- Sæc. XVII.  
bus dignam vultu, moribusque con- A.C. 1606.  
stantiam præferebant, atque inter eos  
primus scalam ascendens hæc dunta-  
xat pronuntiabat verba: *criminis quidem,*  
*si forum spectatur, reus suum, si conscientia,*  
*innocens:* quibus dictis carnificis  
manu in furcam actus est, quo pariter  
suppicio Robertus, Graundius & Ba-  
tesius necati sunt. Altera die Thomas  
Wintherus, Cajus, Rucwodus & Fau-  
xius hoc supplicii genere vitam finiere:  
Præprimis laqueo suspensi, dum adhuc  
animam agerent, scannis imponeban-  
tur, ubi carnifex primum pudenda ab-  
scissa in ignem conjecit, postea, aperto  
ventre cor extraxit, illoque os obver-  
beravit, demum intestinis igne crema-  
tis, capite revulso truncum in quatuor  
partes dissecuit, quæ variis in locis su-  
spenſæ, capita vero in Temesis ponte  
palam affixa fuere: Catesbii vero &  
Percei, quos carnificis manibus despe-  
rata temeritas jam antea ultronea morte  
subtraxerat, corpora eandem supplicii  
ignominiam subierunt, ceterique, in  
quos levior criminis suspicio cadebat,  
exilio plectebantur. Peracto hoc sup-  
plicio varii in urbe spargebantur rumo-  
res: non deerant, qui Epistolam ad  
Montaquilium scriptam nil nisi Cæcilii  
Sarisberiensis Comitis Catholicis in-

A 2

fensis-

Sæc. XVII. fensissimi commentum fuisse assererent,  
A.C. 1606. addebant etiam primam de hac conju-  
 ratione notitiam ad Jacobum pervenisse per Henricum IV. Franciæ Regem,  
 qui eam a Jesuitis eo fine didicisset, ut  
 Angliæ excidium in rem suam verteret.

## §. II.

*Pater Garnetus Jesuita captus.*

*Juvenc. hist.* Tandem Pater Garnetus Jesuita, qui  
*Soc. l. 13.* aliquamdiu hæreticorum insequen-  
*p. 5. n. 49.* tium sedulitatem eluferat, in laqueos  
*Thuan.* incidit, nefaria proditione cuiusdam Ca-  
*lib. 135.* tholici nomine Hunfredi Littletoni, qui,  
*Rapin. l. 18.* ut supra meminimus, conjuratos urbe  
 egressos in ædes suas receperat. Hic  
 veniæ ac recuperandæ libertatis spe de-  
 ceptus, hunc Patrem unacum Oldcornio,  
 quem *Hallum* vulgo nominabant, in  
 Albingtonensi castello delitescere de-  
 nuntiabat, quo comperto mox Hen-  
 ricus Bromleyus secta Puritanus cum du-  
 centis satellitibus advolat, ambosque  
 Jesuitas unacum Garneti famulo Lon-  
 dinum ad carceres deducit, in quo præ-  
 fatus famulus obtuso cultro seipsum tru-  
 cidabat: Primis diebus Pater Garne-  
 tus perbenigne habebatur, postea a Ju-  
 dicibus interrogatus, cum omnia per-  
 negasset, ad custodiam reducitur, cu-  
 jus intermedia pars carcerem, in quo

P.Ol-